accepisse beneficium curationis donec ad S. Benedictum veniretur, quia inquit sancti Dei
martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere ut quanta esset in Benedicto gratia constaret
Nemo offendi debet quod sancti videantur certorum locorum esse patroni vel curam
gerere, quandoquidem hoc etiam faciunt angeli ut est Danielis 10. nam tametsi sancti
omnia totius orbis loca & universum genus humanum summa charitate diligunt, tamen popu-
lum illum ex quo nati sunt & locum illum in quo ipsorum corpora requiescunt maiori
cura fovere & protegere solent sic enim 2. Macch. 15 cap. dicitur Jeremias multum
orare pro populo Israel. & D. Maximus Taurinensis de martyribus Taurinis & D.
Ambrosius lib. de viduis dicunt sanctos esse peculiares patronos eorum locorum
in quibus corpora ipsorum quiescunt. D. Leo pontifex serm. 1. & 2 de s. Apostolo petro
& paulo fatetur hos apostolos peculiarem curam gessisse urbis Romae. idem dicit
B. paulinus Nolanus in vita S. Foelicis & S. August. cap. 16 de cura pro mortuis agenda
sanctum martyrem Foelicem peculiariter tutari suos Nolanos. D. Eusebius emis.
serm. de S. Ephipodio & Alexandro, absque dubio inquit multo eis gratius multo
iucundius est si vos ibi potissimum fervor excolat pietatis ubi super eos furor incu-
buit passionis. B. August. Episto: 137 Ad clerum & populum Hipponensem scri-
bit se misisse clericos suos Nolam ad memoriam S. Foelicis ut illic obtinerent
quod occulto Dei iudicio alibi obtineri non poterant.

## De veneratione Sanctorum

Postquam explicatum est quid sancti agant in coelo videndum est etiam quam venerationem
nos mortales illis debeamus atque hoc primo sciendum sanctos in coelo cum Christo regnan-
tes neque esse deos neque pro dijs habendos, secundo tametsi Dij non sint, esse tamen
in coelo plenos deo summo honore & suo modo deificatos per insignem illam unionem
quam cum Deo habent quia similes sunt Deo & sunt specie vel similitudine
Deum vel divinitatem per ipsum Deum intuentem, quod D. Ioes epist: 1 cap 3 ita
exposuit, scimus cum quoniam apparuerit similes ei erimus quia videbimus eum sicuti est
& D. petrus docet quod consortes efficimur divinae naturae quorum gloriam contemplatus
David propheta ita exclamabat. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus
nimis confortatus est principatus eorum. hinc sequitur tertio, quod licet sancti a nemine
sint afficiendi honore divino, sit tamen illis a nobis exhibendus honor summus, qui sub
Deo alicui creaturae exhiberi potest aut debet & eo maior quo illi coniunctio est cum
Deo ac proinde quicquid exhibetur hominibus seu principibus seu parentibus, quicquid
idem sanctis angelis id etiam merito exhiberi potest animabus sanctorum in coelo vi-
ventium, sed hic videndum est quis honor soli Deo debeatur ut eum non demus
sanctis hoc autem nobis explicat Christus dominus Matth: 4 reprehendit diabolum qui sibi
honorem divinum deferri volebat, dominum Deum tuum inquit honorabis & illi soli
servies hoc est solus Deus est adorandus soli enim Deo serviendum est. sed quia in
scripturis voces adorandi & serviendi aliquando de creaturis dicuntur ut Genes: 18
& 19 Abraham dicitur adorasse tres angelos & Loth duos Genes: 22 Abraha
adoravit filios Heth. Genesis 33. Iacob cum uxoribus et filijs adoravit Esau fratrem
suum 3 Reg. 1 Nathan adoravit Davidem, notandum est has voces duobus modis